



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 3. An ad valorem Baptismi requiritur trina infusio vel immersio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

tus quam primum cautè extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur. Rituale Roman.

Q. 3. An ad valorem baptismi requiritur trina infusio vel immersio?

Resp. Unica sufficit. Constat i. ex c. de trina de consec. dist. 4. & ex praxi Ecclesiæ, quæ sæpè unicam adhibuit. 2. Quia unica sufficit ad veram abluionem. Cæterum in praxi Minister tenetur servare suæ Ecclesiæ consuetudinem, & curare ut singulæ abluiones singulorum SS. Trinitatis personarum invocationi respondeant, ut Ritualia præscribunt; item ne forma totaliter perficiatur antequam perfecta sit ablutio totalis, ne scilicet aliqua pars illius abluionis reddatur inutilis.

Q. 4. An dum Baptismus fit per immersionem, requiritur emersio ad ejus valorem?

Resp. Non pauci affirmant; sed plures alii negant: quia ad veram abluionem requiritur solum immediata & successiva aquæ ad corpus applicatio, orta ex motu locali vel aquæ supra corpus, ut fit in effusione & asperione, vel corporis super aquam, ut fit in immersione; sive postea fiat emersio, sive non. Hinc inferunt validum esse Baptismum infantis, quem quis in flumen aut puteum projicit animo eum Baptizandi, & simul submergendi; modò formam debitam proferat antequam infans aquis suffocetur: quia tunc adsunt materia, forma, & intentio requisita ad valorem Baptismi.

Porro